



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ged. 21.





5

TVRBATVS
IMPERII ROMA-
NI STATVS, EIVS-
que origo &
causa.

Hoc est.

INFORMATIO CIRCA
PRAESENTES IMPERII DIS-
cordias, earumque Au-
thores.

A. P. A.

Est hoc scriptum mirabile et lectu non indignum.



Iuxta Exemplar Gallicum Biturigi-
bus editum,
ANNO M. DC. XIV.



BIBLIOTHECA
MUSEI HISTORICI
MUSEI HISTORICI
MUSEI HISTORICI

HOECH
MUSEI HISTORICI
MUSEI HISTORICI
MUSEI HISTORICI

MUSEI HISTORICI
MUSEI HISTORICI
MUSEI HISTORICI
ANNO M. DC. XIV.

a
c
n
v
b
f

g
l
p
r
f
r
c
g

L
sp
im





VM vltima Imperij comitia in-
 felicem satis, pro dolor, sortita
 sint finem, vt quæ Anno 1608. sine
 fructu vix dum in principio dis-
 soluta, nuperrime 1613. nulla aut
 parua post se spe relictæ, in aliud tēpus reiecta,
 credendum certè est, neminem se magni hu-
 ius mali reum fassurum; imò quemuis
 vndique conquisitis seu veris seu vanis rati-
 onibus eo potius allaboraturum, vt sua in Im-
 peratorem & Imperium iactata obedientia
 & fidelitate, alteri hanc culpam imponat.

Ne itaque simpliciores circumueniantur,
 atque vicini Imperio Reges & Principes, apud
 quos summum obreptionis periculum, in si-
 nistrum inducantur iudiciū, suavitatis &
 veritatis studiū, horū comitiorum successum,
 breuiter quidem, at absque fūco & passione de-
 scribere.

Ad cuius intellectum præmittendum est, eas
 quæ adhuc num aut sunt, aut in Imperio repul-
 lulant lites, tunc initium sumsisse, cum irre-
 pentibus in eo sectis, vnà cum religione Proce-
 rum animi quoque immutati sunt; antea enim
 sicut Vna in vniuersum Fides, ita & vna Impe-
 rij lex, vnus & vnanimis legis intellectus, se-
 cundum quem citra status respectū, iusticiā vi-
 gēte, quisq; aut damnabatur aut absoluebatur.

Ab Anno vero circiter 1520. cum Martinus
 Lutherus noua sua passim in Imperio dogmata
 sparsisset, atque aliquot Principes sæculares iis
 imbuisset, coeperūt tam iuris communis, quàm



quæ ab Imperatoribus, Carolo quarto in Bullâ aurea Anno 1356, Friderico tertio Anno 1442. in sua Francofurti edita reformatione, Maximiliano primo Anno 1495. eiusdem Augustæ facta declaratione, An. 1500. diuersisque alijs sanctionibus de pace inter Status, eorumque subditos promulgatæ erant leges, minus fideliter obseruari; ita vt ijs spretis, iam mutux inuasiones & grassationes passim impune quasi inualescerent. quibus malis diligenti studio obuiare conatus gloriosissimus Carolus quintus, primû quidê Vvormatiæ Anno 1521. dein Augustæ 1525. & Spiræ Anno 26. vtrobique Ferdinando eius vices gerente, sicut & ibidem Anno 29. Augustæ Anno 30. Et sub Rege Romanorum Ferdinando Spiræ Anno 42. iterum 44. ibidem, alijsque pluribus Diætis, & quod videret horum dissidiorum causam & fomitem esse nouiter obortum dissensum in religione, summâ curâ & solitudine in id incubuit, vt eo submoto, correctisque erroribus, status in primæua & concordî fide concordés efficeret: quemadmodum ea de causa Concilium Tridentinum, & diuersa colloquia, præsertim verò Anno 57. Vvormatiæ instituta: quæ dubio procul optimum Imperatorem spe sua non defraudassent, si in illo Sectarij comparuissent. In hoc autem cum Saxonix Legatis, disceptationem scilicet inter Catholicam religionem duntaxat & puram Augustanam confessionem, cæteris omnibus succedaneis sectis vnanimiter & præiudicatiuè explosis, instituendam censentibus (vti & hoc pacto cautum erat) conuenissent.

His

His ergo omnibus frustra tentatis Statuum
animi indies magis magisque in se mutuo ex-
candescabant, & iam non amplius dissimulatū,
sed apertum spirabant Martem, nisi Carolus
profusis priuilegijs sectarios (quos deinceps
Protestantes vocabimus) cumulasset; Catholi-
ci vero suis, quas contra ipsos, ob diuersa Ec-
clesiæ occupata bona habebant, actionibus in
perpetuum renunciaissent, atque hoc pacto fu-
rorem eorum compescuissent.

Occupauerant tum temporis aliqui ex Pro-
testantibus antiquos quosdam Imperij Episco-
patus, aliasque Ecclesias & bona Ecclesiastica
à Catholicis in vsum Catholicorum piè fun-
data, contra expressam pacis publicæ constitu-
tionem, quæ huiuscemodi spolia seuerè inter-
dicit: hæc jure repetebant Catholici, atque of-
ficiū Imperatoris vt Iudicis implorabant. Sed
cum illis constanter reuentibus verendum
esset, ne re decisa motus in Imperio suscitaren-
tur, & ad resistendum Turcæ tanto minus suffi-
ciens redderetur Cæsar, Ratisbonæ Anno 41.
Catholici spe futuræ compositionis, eò indu-
cuntur, vt in Camera Imperiali omnes suas
intuitu Religionis, hoc est, bonorum Ecclesiæ,
institutas actiones, quo ad vniuersale vel nati-
onale Concilium, sopiendis fidei litibus insti-
tutum, effectui mandatum esset, silere iubeant
& sistant; hac quidem ab Imperatore facta fide,
se præuia commissione determinaturum inter
causas religiosas & prophanas; simulque con-
sistentibus Statibus sancitum fuit sub poena
fractæ pacis, ne intuitu religionis alter alte-

sum offenderet, eiusque bona inuaderet; sed & in specie Ecclesiasticos in possessione suorum censuum & reddituum deinceps absque vlla turbatione relinquendos: quo obtento Protestanes, iam palam indicendū Conciliū, quod paulo ante placuerat, recusant, Catholicosq; vt proximè obtentū Iustitiū, in Iudicio scil. Camerali, ad quinquenniū protelent, adigunt, vt ex recessu Imperij An. 1542. Spiræ cōdito patet.

Interea quò Status in officio contineat, animosque concitatiores à grauiori motu præseruet Cæsar, comitia multiplicat, fiuntque præsertim ad securitatem Clericorum iteratò pacis leges, Spiræ An. 44. videlicet hæ.

Nemo Statuum alterum ad suæ religionis susceptionem adigat, aut eius subditos à debita obedientia & fidelitate seducat, ijsq; contra Magistratum patrocinetur.

Ecclesiasticis sui maneant census & redditus salui, quos tempore Ratisbonensis Dieta Anno scilicet 41. adhuc in possessione habuerunt.

Vtq; ob Ecclesie patrimonium vlterior inter Status animorum disunctio, & dissidentia euitetur, Ecclesiastica Collegia, Monasteria, & Domus, siue Catholicorum, siue Augustanorum illa sint, suis bonis, censibus, & prouentibus, quamuis in alterius principatu aut dominio sitis, non destituantur, ita vt deinceps cuius Collegio, Prælatuæ, Monasterio, Xenodochio, Domui & Ecclesie, eo nempe in loco, vbi illa sita sunt, sua bona, suiq; redditus absq; recusatione cedant, operâ ad id fideliter ab aliis Statibus, nullo religionis intuitu præstitâ

sita. Principes vero Ecclesiastici. alijs Status, nemini quam Imperio immediatè subiecti, eorūq; bona, hac lege non censendi, sed ijs vbicunque residentibus redditus & census eorum liberè cedant.

Similiter Pralati, Religiosi, alijs Ecclesiastici, qui ob immutatā religionem, residentias suas mutarunt, inque aliorum Statuum dominia & territoria migrarunt, fruatur bonis ad eorum Collegia, Monasteria & beneficia pertinentibus, quamuis in aliena iurisdictione sitis (quorum scilicet possessionem Anno 41. adhuc habuerunt) vsque dum discors religio componatur. Ita tamen vt Dominis rei sita, sua circa huiusmodi bona iam ante hoc religionis disidium competentia & vsitata Dominicalia Iura salua sint & maneant.

Ex his bonis Monasteria, Ecclesie, Schola, Eleemosyna, Hospitalia, vti Anno 41. ita deinceps nullo religionis discrimine sustententur. Si que verò inter Status ob bona Ecclesie occupata & litigiosa, conuentiones, compositionesve facta sunt aut fient, ea rata maneant ac firma.

Questiones circa sustentationem ministeriorū orta, per electos à Partibus arbitros, aut amicaliter sopiantur, aut à Cōmissariis Cesareis summam definiantur, ita vt interea nemo sua ideo possessione destituatur, aut arrestis grauetur.

Monasteria & templa non destruantur aut euertantur. Præter hæc & vltra hanc constitutionem omnes Ecclesiastici, siue Catholici, siue Augustani, omnibus bonis emolumentis, redditibusq; suis, vt

ea Anno 41. possederunt, liberè gaudeant & fru-
antur, suspensis denuo Catholicorum actionibus,
aliisq; recessibus.

Camerales nullo religionis intuitu cuius aqua
lance ius dicant.

Hæ itaque leges sub authoritate inuictissimi
Caroli (quibus Catholicis ob denuo sup-
pressas eorum actiones, & reiectos Imperij re-
cessus nō leue damnum illatū est) à Statibus cō-
uentione & iureiurando sancitæ sunt : benè
quidem si obseruatores habuissent Protestan-
tes, & in Ecclesiæ perniciē, bona Ecclesiastica
contra iura & foundationes non tam graui exē-
plo laicis assignata, & quasi adiudicata fuissent.

Vt ut sit, Catholici spe futuræ concordie,
nimium creduli, annuerunt, iisque maiora au-
dendi locum & ansam dederunt: vnde quic-
quid vltius VVormatiæ An. 45. de instituen-
do colloquio, Augustæ 48. de reassumptione
Concilij Tridentini, omnibus ad id securitate
concessa, tentatum est, effectu caruit; quod ad-
uertens Cæsar iniquitate causæ motus, quod
videret nil nisi inducias & subterfugia quæri
in fauorem spoliatæ Ecclesiæ, ita edixit:

Volumus, inquit, & debemus, secundum nostrā
ante hæc factam promissionem, ad Statuum (in-
tellige Catholicorum, vt qui grauati, nil nisi ius
inclamabant) supplicem implorationem, ob iuris-
dictiones & bona Ecclesiastica inuasa & occupa-
ta Commissarios nostros deputare, qui amicabili
compositione rem transigant, aut hoc non obtento
id efficiemus, vt cuilibet ius administretur, & spo-
liati

liati absq³ vllius grauamine (scil. iusto) restituatur.

Verè iusti Cæsaris iustum eloquium, nisi qui priores Leges euerterant, & hanc quoque exinanissent, vt patebit.

Quæ omnia sicut & cætera An. 51 Augustæ de concordanda religione frustra deliberata media, vt quæ omnia in nihilum reciderunt, piget hic latius & accuratius narrare, verbo dicam, religione seposita & aliò reiecta, An. 52 ad transactionem, aut si mauis concussionem Passauensem ventum est (armati enim eam à Catholicis exegerunt, ijsq^{ue} soli tuti fuerunt qui eam acceptarunt, vt contextus habet) sed quod placuit semel deinceps quoque placeat.

Hoc autem inter cætera actum est hic, vt repetitis pacis legibus, quod proximè futuris comitijs circa pacem religionis à Statibus decretū fuisset, id à quolibet irrefragabiliter, fide ad id præstita seruarietur; iniungendumq^{ue}; Cameræ Imperiali, vt contra hanc conventionē grauat^{is}, nullo religionis discrimine, juris impertirentur subsidia, Sæctis interim ex vetusta Christianorum juradi formula, penitus eliminatis.

Acceptam quoque illi habuerunt Cæsaris promissionem, qua se intelligentes, & Germanos, rebus Germanicis scilicet tractandis, consilio suo aulico præfecturum spondebat.

Hac itaque transactione præmissa, vincit^{isq^{ue}}; quasi Catholicis, tandem Anno 55. (circa quæ tempora priori sæculo Athenæ, omnium artium & disciplinarum mater ab immanissimo Mahomete II. octauo Turcarū Principe captæ soloq^{ue} æquatae sūt) quo ob dissensū religionis

fluctuanti Reipub. Romanæ, vti spes omnibus bonis erat, subueniretur, famosa illa amnistia & quæ adhuc num extat religionis pax, constituta est: cuius cum sit aut esse debeat æterna authoritas, seriem hic necessario inteximus.

Iterum ergo seposita de concilianda fide, contra pactum Passauiense quæstione, sequentes pro patriæ tranquillitate, Cæsaris, omniumque Statuum jurata approbatione, factæ & promulgatæ sunt sanctiones. Capita hæc sunt:

Ne quis posthac alteri in Imperio bellum indicat, inferat, vel hostile quid aut per se moliat, aut ope consilioque promoueat quin imo omnes concordibus votis, mutua benevolentia studeant, neque alter alterum, iudicio se submittere paratum, rannonæ subministratione, commerciique, vel reddituum perceptione intercludat.

Cæsar & Imperij Ordines nullum confessionis Augustanæ Statum ob professionem Augustanam vi vel armis inuadant, ledant, vel ab hac confessione, doctrina, ceremoniis, ritibusque Ecclesiæ indictionibus eorum, aut iam introductis aut introducendis deiciat, iisque siue mandatis siue aliis modis graues sint, sed in hac confessione eiusque exercitio bonis & iuribus suis liberi & quieti relinquuntur, quæ autem de religione lis est, ea non nisi Christianis, amicabilibus, & pacatis rationibus componatur.

Vicissim Ordines Augustanæ confessionis Cæsarem, electores ceterosque Imperij Principes & Status Catholica & auita religionis, siue Ecclesiastici siue seculares illi sint, vnâ cum ipsorum capitulis & aliis

& aliis clericis ordinis hominibus, non attento
quò domicilium suum transtulerint, sua religione
atque Ecclesie sue ritibus, ceremoniisque, sicut &
bonis, dominis, subditis, iurisdictionibus, digni-
tatibus, iuribus, redditibus, censibus, decimis, absque
vlla modestia uti frui sinant & patiantur, ipsis po-
tius in hoc subueniendo, quam vllam vim inferendo,
ad amissim Imperij legibus, constitutionibus, &
pacis publicae sanctionibus obseruatis, atque haec om-
nia sub spõsione Caesarea Regiaeque dignitatis, hono-
ris Principum, fidei & pacis constitutionis. quotquot
verò nec Catholicae Religioni, nec Augustanae con-
fessionis (uti nempe illa Anno 30. Caesari exhibitae
est) addicti sunt, hi beneficio huius pacis non fru-
antur, sed ab ea penitus exclusi sint.

Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, aliique Ecclesi-
astici, à Catholica religione recedentes à beneficiis
eorumque fructibus, honore & existimatione salua,
simul quoque abscedant, Capitulis, aut quibus id
de iure Ecclesiarum aut Collegiorum recepta cõ-
suetudine competit, aliam Catholicam personam
ineius locum sufficiendi, & eligendi data facul-
tate, cui vnà cum Capitulis, aliisque Ecclesiis, fun-
dationes, electiones, praesentationes, cõfirmationes,
cõsuetudines, iura & bona sua salua sint & maneant.

Collegia, Cœnobia, aliaque bona Ecclesiasti-
ca à Statibus nonnullis, eorumque praedecessori-
bus occupata, piisque vsibus applicata, si neque ad
alios Imperij Status pertinent, nec tempore trans-
actionis Patavienfis, postea uero ab Ecclesiasticis pos-
sessa

sessu fuerint, sub hac pace comprehendantur, suisque locis immota maneant, neque vlla eo nomine sit actio, petitio aut persecutio. Nemini à Camera horum nomine processus decernantur. Ecclesiastica iurisdictio (saluis cuiusvis redditibus, decimis, iuribusque temporariis) in Augustanae Confessionis ritus, ministeria & leges institutas, instituendasque, vsque ad plenam religionis conciliationem, ne exerceatur, sed confessione hac libera, interea temporis suspensa quiescat, aliis tamen casibus integra maneant. Statibus Catholicis redditus, census, decimaeque maneant: Magistratui tamē civili, sub quo ea bona sita, sua in his iurisdictio secularis, commoda & iura, quae ante ortū de religione dissidiū ipsi in iis cōpetierunt salua sint.

Ex his bonis, Ministeriis, Ecclesiis, Scholis, Elemosynis, Hospitalibus, vt olim, ita deinceps, nullo alterutrius religionis discrimine prouideatur.

Qua de re si quid dubij incidat, Partes arbitros liti decidenda nominent, qui causā summarie cognitā intra sextum mensem, quid, quantumque, eo impendendum sit, pronunciant.

Interea quibus hoc nomine lis mota fuerit, nec possessione sua destituantur, aut turbentur, nec eo minus quod antiquitus ex fundis emolumentisque, ad ministeria contulerunt, ad finem vsque, liti porrigant.

Ne quis Statuum alterum eiusuē subditos suae religioni adigat, abstrahat, vel contra Magistratum tueatur aut defendat, competentibus tamen Aduocati iuribus exclusis.

Casaris

Casaris, Statuumque subditis vna cum familia religionis causa, alio si velint commigrandi, bonaq; sua alienandi (dum seruilis conditionis, debitiq; tributi nomine pro loci consuetudine Magistratui satisfaciant) facultas & potestas esto, Dominis tamen manumittendi arbitrio relicto. Hac pax diffidentiae in Imperio tollenda salutiq; patriae promouenda, & concordandis religionum litibus inita, ad vsque placidam & absolutam religionis conciliationem, sacra te-cta & inuiolata ab omnibus seruetur: quod si generali concilio, nationali conuentu, colloquio, aliisq; Imperij tractatibus, hac compositio acquiri non possit, pacis tamen huius in omnes casus perpetua & aeterna vis & authoritas erit.

Hac pace quoque Ordo Equestris immediate subditus, ita fruatur, ne vnius aut alterius religionis causam grauetur aut molestetur.

Quibus in Ciuitatibus liberis ante hanc conditionem pacem vtraque religio in vsu fuit, in iis porro sic remaneat, Ciues & incola seu Clerici seu laici, pacifice & comiter inter se cohabitent, neutri alteros de religionis suae exercitio, Ecclesiae ritibus & ceremoniis deturbare liceat, sed liberum vltro citroq; religionis facultatumq; & bonorum vsu, sicut superius de Statib. cautum, quilibet habeat.

Superioribus Imperij constitutionibus, huic paci nihil vlla in parte detrahatur, nec deinceps vlla contra eam derogatio, aut declaratio admittatur, si fiat, pro non facta habeatur.

Hac

Hæc pax vti Cesaris ordinumq; religiosa asser-
tione munita est, ita stabili omnium concordia &
sinceritate sanctè & religiosè seruetur. Cesar &
Ordines nec ipsi inuicem, clamè palamè contra
hanc pacem committant, nec fraudem facientibus
aut contrauentibus adiumento sint, quin imò
contra hanc constitutionem lesis, vtrò, ope &
auxilio subueniant. Huic constitutioni Camera,
pareat, Iusq; postulantis citra alterutrius religi-
onis respectum administret; in contrarium nec
processus decernat, nec aliud agat aut tractet.

Hanc itaque pacem valere iussis Episcopati-
bus veriisque Ecclesiæ bonis, remissis & sepul-
tis suis actionibus, non tamen absque graui dā-
no, admissis in Imperio Augustanæ confessio-
nis cultoribus, Catholici æquo animo ample-
xi, eam hucusque strictè coluerunt, hospites su-
os Augustanos humaniter habuerunt, seque
deinceps hanc sacrosanctam Imperij legem fi-
deliter obseruaturos sanctè pollicentur. Sit
ergo hæc norma, ad quam subsecuta in Impe-
rio gesta, & hodiernus status examinandus est.

Obseruarunt, inquam, Catholici hanc de
pace sanctionē ad amissim, nec vel minimæ cō-
trauentionis hucusque accusati, aut rei facti
sunt: ex altera parte quam fideliter, videbitur:
legem enim è vestigio subsecuta est præuari-
catio. Inuaserunt enim Episcopatus Magdebur-
gensem, Bremensem, Halberstadiensem, (hoc sta-
tim iniuncto iuramēto: Iuro quod non velim
admittere Calvinismū, nec restituere Papatū)
Verdensem, Osnabrugensem Mindanum, Lube-
censem

tenssem, Ultraiectinum, Caminum, Schverinum
Gadauensem, Brandenburgensem, Ratzenburgē-
sem, Slesvicensem, Hamelburgensem, Libuffensē.
Monasteria & Cœnobia: Hirschfeldense, VVal-
kenrid, Maulbron, Rittershausen, Ad Lapidem
VValdsachsen, ad S. Gilgen, Königsbrun, Qued-
lingenburg, Herffordē, VVeringeroda, omnes fa-
mosas ad cultum diuinum institutas Abbacias.
Inuaserunt dico, nec immeritò; eorum enim
votis pro maiori parte vocati & introducti sūt:
qui desciscentes à religionis & pacis lege, bene-
ficiarū, iuriūq; Ecclesiæ incapaces, nullā vltē-
rius eligendi seu postulandi facultatē habebāt.

Nunc etiam si qui dissolutionis vitæ & lasci-
viæ causa & statum & religionem deserunt,
hos fouent, & in perceptione bonorum Eccle-
siæ, pari æquitate contra ordinarios tutantur.
Tēpla partim ad prophanos vsus conuerterūt,
partim ita destruxerūt, exusseruntq; vt memo-
riā sui posteris, exigua tamē ipsorū laude faciāt

Rebus ita laudabiliter (scil.) gestis restabat
qua ratione excusso Iustitiæ iugo, & ablata re-
tinerent, & quod adhuc Catholicis superest,
pari libertate impunè inuolare possent. ob-
stante enim religionis & prophana pace sicut
& iure communi, non Catholicorum vim, quos
hucusque benigniores experti essent, sed Iudi-
cis ferulam timebant, quid ergo Consilij? cir-
culum faciunt, & eam qua ante transactionem
Passauicam, subsequutamque religionis consti-
tutionem, ingressi sunt viam, repetunt, illorum
studio nil conuenientius rati, quam aut Catho-
licorum de nouo institutas aut instituendas
actio-

actiones, iterum eludere, vel ad minus priori exemplo in æternum sistere, quod sedulo, sed grauiori ante hac dispendio efficiunt.

Ordinatione Camerae Anno 55. communi Statuum voto edita, par. i. tit. 50. cautum est, quotannis designato tempore per Cæsaris Ordinumque delegatos & Consiliarios Iudicium Camerae hoc modo visitandum, vt Cæsar Spiram Commissarios, Moguntinus suos, Coelectorumque singuli singulos per vices Consiliarios mittant; Principes bini, Ecclesiastici alter, alter laicalis ordinis, alternatim ipsi veniant, & suos delegant, eo scilicet ordine, quo in Imperij Senatu sessionem habet & votum. Ventum ergo erat in ordine Principum Ecclesiasticorum ad Germaniæ Primatem, Archiepiscopum Magdeburgensē Anno 88. hoc muneris sibi Ioachimus Ernestus Marchio Brandeburgicus, nec Archiepiscopus nec Clericus, imo detentor laicus, per Apostatas nulliter postulatus, & tam ratione status quā religionis inhabilis huius Ecclesie possessor, sibi vendicat; cæteris Protestantibus tum ob similem causam, tum vt Ecclesiastica munia sibi arrogando clericalem statum confundant, & pedetentim ex Imperio (licet hoc in utroque, præcipue vero sacro ordine fundatum sit) exterminent, ad hoc ipsi fideliter, & velut in communi causa strenue assistentibus; non tam quod sperarent hoc se impetraturos (probe enim sciebant Catholicos, vti votum & sessionem in Imperij Senatu ipsi siueque similibus ob notoriam inhabilitatem iam pridem negarant, imo eius aliorumque ereptorum

ptorum Archiepiscopatum, Episcopatum,
restitutionem à Cæsare Anno. 82. & antea ro-
gauerant, hoc nunquam concessuros) quam vt
hac occasione arrepta ordinarias Camerae visi-
tationes, quæ tam corrigendis huius iudicij
defectibus, quam expediendis remissionibus (si
quæ à sententijs latis interpositæ essent) adin-
uentæ & institutæ erant, impedirent, atque ita
vltimum iudicij finem, executionem scilicet,
suspensis per reuisionem sententijs, subuerte-
rent. Cuius mali voti (prò dolor) compotes fa-
cti id effecerunt, vt in hodiernum vsque diem
ordinariæ visitationes omnium afflictorum
dolendis suspirijs immobiles hæreant.

Ecce vt pacis celebris illa constitutio, qua
Catholicis Ecclesiæ suæ, earumque iura sal-
ua esse deberent, qua desciscentes ab auita fide,
Clerici à bonis & beneficijs cedere iubentur,
nec vltra seu eligendi seu postulandi jus ha-
bent, ab his reuerenter habita sit.

Indignum autem Cæsari videbatur, vt ob
has iniquas satis Magdeburgici, asseclarumque
circa visitationes motas prætensiones; in hoc
glorioso & sacro Imperio ius & æquitas desi-
deraretur. Collatis itaque consilijs Anno 94. &
98 in comitijs decretum, & pragmatica sancti-
one inductum fuit, hac lite suspensa, deinceps
Iudicium Camerale per certos ad id deputatos
status visitandum, omnesque & singulas (nulla
prorsus exceptâ) reuisiones ab iisdem deputa-
tis definiendas, & expediendas esse: salubre
consilium; sed qui depressam & eradicatam,
B quam

quam erectam optabant in Imperio Iusticiam,
hi, detecta hac latebrâ, aliam comminiscuntur.

Inter alias reuisionis causas quatuor erant,
quæ à Iudicio Camerali, paribus in religione
Assessoribus definitæ erant, vna *Prioris or-
dinis Carthusianorum in Grunauio actoris con-
tra Ludouicum Comitem ab Oettingen;* altera
*Priorissæ Cænobij Diuæ M. Magdalena adtricis,
cōtra Senatū ciuitatis Argētoratensis,* Tertia, *Pro-
uincialis ordinis Carmelitarum contra defuncti
Ludouici & Philippi ad Hirschorn pupillorum tu-
tores,* & Quarta *Domini Episcopi Spirensis con-
tra Marchionem Badensem & consortes.*

His sententijs non in pace religionis, sed iu-
re communi & alijs prophanis Imperij consti-
tutionibus (quibus quisque in possessione bo-
norum, iuriumque sibi competentium, contra
deiectores, turbatoresque quousque causa
principalis iure deducatur, conseruandus) fun-
datis, reseruato petitorio, reis ablatorum resti-
tutio, censuum solutio & similia iniungeban-
tur, offensiones vetabantur, &c. Anno itaque
1601. cū vigore supradicti recessus ad extra-
ordinarias reuisiones Spiræ conuenissent de-
putati Protestantes, qui vnà cum cæteris Stati-
bus omnes singulas causas nulla prorsus exce-
pta reuidendas esse, Anno 98. decreuerant, ite-
rum sibi suæque causæ metuentes resiliunt, o-
pus reuisionis, nisi quatuor suprâ nominatæ
causæ, aut si quæ similes adhuc intercedent, se-
moueantur, aggredi prorsus recusant; quod cū
Catholici, quibus supradictis actoribus & Ec-
clesijs

clesijs ius, suum per sententiam acquisitum
fundatoque à parte reorum per submissionem
& arrhæ depositionem iudicio reuiforio, re-
mittere licitum non erat, recusarent, secessum
faciunt, & quemadmodum antea ordinarias,
sic nunc inordinarias quoque claudunt ex vo-
to reuisiones; facta nunc cuilibet impunè con-
tra Ius & Imperij leges, debilioresque, & quam
maximè inermes religiosos, peccandi licentia.

Passim ergo quisque hoc remedium reuifio-
nis, quod iacet, implorat, & quæ per reuifio-
nes pendet executio, omnes quasi Cameræ Im-
perialis sententias elusorias reddit atque ita,
vt supradictum est, grauiori iam dispendio ob-
iis iam quasi in vniuerso præpeditum, Impe-
rij sacrum forum occludunt. Huius prætensæ
exemptionis vti assolent, causas aliquas exhi-
bent. Aiunt enim has causas in pace religionis
fundatas, atque ab intellectu eius dependere
ideoque à Camera incòpetenter decidas, & ad
Statuum amicabilem conuentionem, non iudi-
cium pertinere.

Ab ipsis Cameralibus dubium hoc Anno 57.
Statibus propositum fuisse, vtrum scilicet Pro-
uincialibus processus ex pace religionis decer-
nendi, eiusque resolutionem adhuc pendere,
Cameram ergo hac non expectata nulliter ju-
dicasse.

Actores esse extraneos nulli Satuum cõiunctos.

Reformationem cœnobotum in ipsorum
territorijs sitorum ipsis licitam. ergo?

At vt fatentur ipsi vtriusque religionis iudi-

ces Assessores, decisiones hæ, nudum concernunt possessorium, rationesque suas non in pace religionis, sed iura communi, alijsque prophanis Imperij constitutionibus habent: atqui esto, causam habeant ut asserunt, nunquid præter status Ecclesiasticos & alij Clericalis ordinis homines hac lege salui esse iubentur? nunquid Cameralib. ut ipsis grauatis ius impertiantur, iniunctum est? nunquid constitutio quã maximè laborabat, ut iã prophanatis aliquib. Ecclesijs & Monasterijs, quæ supererāt, à simili inuasionè & innouatione tuta & libera essent? Nunquid Catholici illorum æterna renuntiatione hæc redemerunt? aut pretium ergo, aut mercem reddant, si iusti sunt.

Iterum, dubium à Cameralib. An. 57. ortum, ut dictū est, ad has causas non pertinet, & si pertineret, decisū id certe est à Cæsare & Statibus. An. 66. nec vltèrius à iudicibus dubij loco habitum est, sicut & immerito dubiū dicitur, quod in claris verbis dubium nō habet sensum: animus iudicum ex præiudicijs patet; ex hoc enim capite, nō obstante dubio (si quod nunquã fuit) processus variij in Camera decreti, ut in causa *Vilhelmi Brandt Prouincialis Ordinis Predicatorum contra Baden Anno 61. Matthiæ de Monte Carthusiani Ordinis Visitatoris contra Erffart, Anno 63. Priorissæ & Conuentus Monasterij Lauuingen, contra VVolff: Comitem Palatinum, Senatūque ibidem Anno 63. Ioannis Maleri Prouincialis Ordinis Carmelitarum contra Hermanum Comitem in Neunar. ratione*
Mona-

Monasterij in Möers Anno 68. Carthusiæ in
Grunauio, contra possessores comitatus *VVer-*
theimensis. An. 76. *Provincialis* Ordinis D. Au-
gustini contra ciuitatem *Lindauu*, Et in tribus
diuersis causis *VVormbs* contra *VVormbs*, Anno
85. & 87. Ex quibus, alijsque his similibus,
quale *Camera*libus de hoc dubio iudicium fu-
erit, clarum est. Quin imo à Statibus ipsis Au-
gustanis Anno 83. tempore visitationis repre-
hensi sunt *Camera*les, quod ob quæstiones cir-
ca intellectum pacis huius incidentes, causas
indecisas relinquerent, iniunctumque ipsis, vt
in causis religionis pro conscientia & fide da-
ta, jus administrent; quemadmodum id ex in-
strumento protestationis, primum quidem à
Brandenburgicis, liberisque ciuitatibus exhi-
bito, postmodum autem ab alijs approbato li-
quet, cui hæc clausula formaliter inserta est,
quod scilicet merito in his (intellige causis ex
violata religioinis pace ortis) maioribus votis
locus esse debeat. Sed & quomodo proces-
sum *Episcopi Spirensis* contra *Baden* dubio
Provincialium accommodant, nisi quod ab-
stractione præcisionis hic *Episcopum* vt nu-
dum *Episcopum*, ab incorporato sibi *Status* ju-
re abstrahant, & vniuersalia architectentur?

Estne denique in Imperio casus, qui à iudi-
cio sit exemptus? An ideo religiosus jus dene-
gandum, quia exterius (quamuis certè exteri
non dicendi, qui Imperij necessitatibus, vt hi,
contribuunt) Est ne hoc pro Imperij decore,
vt quod *Saracenis* & infidelib. datur, id *Chri-*



stianis & miserabilibus quidē personis de-
getur? quæ temeritas hæc est, laudabile hoc tri-
bunal non visis actis aut actitatis, nullitatis
arguere? nonne prius reuidenda quàm reijci-
enda est sententia?

Sed competit illis jus reformandi Coenobia
aduersatur hoc textui, & si permissū esset, quis
non videt Religiosis non minus quam Rusticis
saluis bonis & prouentibus suis, jus migrandi
ex lege competere? Inuertitur hic ordo, & qui
eiectis religiosis, bona eorum sibi vendicant,
fundationes immutāt, ex templo stabula, gra-
naria aut similia faciunt, reformare (si Dijs
placet) & Ecclesiam ab erroribus, imò à bonis
purgare dicuntur. Sed rationibus frustra cum
iis contenditur, qui rationibus non vtuntur.
propositum ipsis est in Imperio iustitiam e-
uertere: id quouis modo, si non veris, at appa-
rentibus argumentis efficere nituntur; quæ
licet penitiùs, & ad lucernam lustrata, leuissi-
mè disparent, hic tamen minis & armis stipa-
ta, de expugnato quasi Camerali iudicio iam
triumphant.

Restabant adhuc duo, afflictis Catholicis,
iustitiæ fruendæ media, quibus hætenus viuūt,
Aula scilicet Cæsaris aut iudicium Cæsareum,
decidendis Imperij negotijs institutum, & Co-
mitia, hoc est, Cæsaris Statuumque intra se; aut
vnanimis aut plurium decisio, in hæc iam du-
dum cuniculos agunt. Blasphemi erant, qui
anteactis temporibus Cæsaris potestatem in
dubium vocabant, id cum ab illis, qui se fide-
tatis

ratis & obedientiæ præstito homagio, ne quidem consilio, ubi imminuendæ eius auctoritatis sermo sit, interfuturos jurejurando obstrinxerunt, palam experimur.

Negant Cæsari jurisdictionem in Status, eorumque Subditos competere, sed eam plenariè, & ut Jurisconsulti aiunt, priuatiuè in Cameram, sola, in causis fractæ pacis reseruatâ concurrenti licentiâ, translata. Cognitionem circa Ducatus & Comitatus Imperij feudales ita Cæsari permittunt, ut ea paribus & Curia & religionis ad nutum eorum demandetur, atque ita Romanorum Imperatorem, in quem olim populus Romanus omnem jurisdictionem transtulit, qui que velut fons & scaturigo omnis dominij, Statibus eam quam in sæcularibus habent potestatem, clementissimè communicauit, & scepro & diadema suo exuere conantur; non aduertentes obstructa scaturigine, riuulos exficari, & prostrato scepro Imperatorio, subditos suos sua quoque subiectione & obedientia solui, nec diutius in Imperio Principes quàm Imperatores futuros.

Sed enim cælum & terra dehiscat, ruat admiranda iuxta ac veneranda Imperij Romani facies, dum Iustitia conculcata, Catholicorum bona occupata securè possideant, & quæ supersunt, pari libertate quicquid de religione pax edisserat inuadere, & conuasare, & tandem qui ipsos in contubernium receperunt, Catholicos & Catholicam orthodoxâ fidem,

summo ingratiudinis exemplo ex Imperij finibus eijcere & relegare queant.

Sed vt agonizantibus vires concresecunt, ita Catholici interitum cognoscentes, pro aris & focis sibi euigilandum esse ducunt.

Vt ergo causæ æquitas, ita pro Cæsare pugnant Catholici. His assistunt aliqui quoque laudabiles Imperij Augustanæ confessionis Status, qui huius consilij pertæsi, rem vt de cet accuratius expendunt, & patriæ interitum auersantur & dolent. Negat ergo Cæsar, & qui ab eius partibus sunt, se eam quam à Deo & Electoribus habet Iurisdictionem à se abdicasse, & Cameræ contulisse: hoc enim, inquiunt, quod Cæsaris & Statuum commune est Tribunal, ob absentiam Imperatorum bellis, aliisque negotiis extra Imperium detentorum, multitudinem litium & causarum, in laboris & sollicitudinis partem Cæsar ascivit, eique Consilio Ordinum inter Status & eorum subditos, certa lege & modo causas definiendi, ordinariam facultatem attribuit.

Hinc vti ante, ita post eius institutionem Cæsar innumeras causas, absque litis aut partium differentia in hodiernum vsq; diem definiuit: commisiones (quas nunc auersantur, aut paribus in religione demandari volunt) prohibitu decreuit, imò à Cameræ Iudicio multos Status exemit, & ad huc nunc eximit, in cuius rei testimonium Electores, Principes, Comites, Nobiles, omnisq; ordinis status producuntur, qui si volent, testabuntur Cæsarem quoq; refer-

reſeruatam ſibi de maioribus feudis cog-
nitionem, non ad hunc præſcriptum modum,
ſed abſolutè pro arbitrio, data occasione ex-
ercuiſſe. Breuitatis ſtudium, & rei euidentia
non ſinit rem exemplis comprobare; luculen-
ter propriæ teſtabuntur ipſorum conſcientiæ,
hæc pacto nil præter nomen Cæſari remanere,
& verò eū quouis Dynaſta inferiorem futurū.

At quæ hæc mutatio? qui paulò ante Came-
ræ iudicium plenis velis impugnabant, hi re-
iecto nunc Imperatore omnes cauſas eò per-
trahūt mirâ aſtutiâ, qua verò nõ niſi inſcios fal-
lunt: ſciunt nimirum omnes Camerælites im-
mortales, & ob impeditum reuiſionis iudici-
um ſine & executione carere.

Pares vtriuſque religionis in aula Cæſa-
rea, Cæſareis que cognitionibus Iudices
volunt, vt quæ inter ipſos & Catholicos ortæ
ſunt & oriuntur quæſtiones, Conſiliariis inter
ſe non conuenientibus, ſed votorum numero
paribus, ad exemplum Cameræ in perpetu-
um indeciſæ maneat: id demum ſatagunt, vt
illorum voluntati expoſiti Catholicæ, jure &
iudicio careant. Circumſcribuntur hi certè,
niſi æqui ſubueniant Iudices.

Iterum ergo Cæſar pro paterna ſua in Pa-
triam cura, hiſque euellēdis malis, iuſtitiaque
reſtauranda, Anno 1603. comitia Ratiſboure
indicit: comparent illi quidem, ſed diuerſis ab
Imperatore, Statibusque pacificis, ſtudiis:
quamobrem cū hi reſeſſum Imperij Anno
98. atque expeditionem æquabilem omnium

singularumq; reuisionum vrgerent, illi quatuor suprà dictas causas, ijsq; similes exauthoratas vellent, Senatumque Imperij nouo hucusque & inaudito exemplo desererent, nihil actum, sed in Cæsarem, Electoresque promouendæ iustitiæ cura reiecta est: cumque diuersis celebratis Diætiis negotium hoc frustra tractaretur, tandem ad infelicia illa comitia, 1608 ventum est.

Sciendum porro hic, cum Protestantes exhibitis quibusdam contra Catholicos querelis (nescilicet ipsi soli Rei viderentur) à Cæsare admissionem ad beneficia Ecclesiastica peterent, aulicum eius consilium incusarent, atque alia similia ad liberiores viuendi modum pertinentia flagitarent: Cæsarem Anno 90. Iulij 27. ponderatâ causæ iniquitate, ipsorum petitiones reiecisse, quas hucusque suppressa hac decisione nequicquam vbique repetunt.

Anno 1608. iterum celebrantur comitia. facta igitur, vt moris est, propositione Cæsaris, diu inter Legatos ordinum de ordine consultationis, & num de pretito pro arcendis infidelibus subsidio, primo loco deliberandum nec ne, disceptatum est: quo tandem concluso nouis erumpunt artibus; aiunt enim interno prius, quàm externo occurrendum periculo fiduciam inter Status conciliandam, Camerae cursum promouendum, & renouandâ de pace religionis constitutionem, imo etiam transactionem Passauiensem, præclare id quidem & infidijs rescaruisset.

Constat

Constat ex pace religionis nullā in Imperio
præter Catholicam fidem & Augustanam con-
fessionem licitam, cæteras omnes damnatas
& exclusas esse. Hæc Augustana confessio pau-
cissimos in Imperio habet Affectas, qui ta-
men pacis & æquitatis amantiore, beneuo-
lentiam quam Catholicis exhibent, ab ipsis
quoque experiuntur. Ceteri quotquot Ecclesi-
am deseruerunt, confessione hac quoque ex-
plosa & exhibilata, nouis opinionibus adhæ-
rent. Hi omnes ergò renouando constitutio-
nem se quoque ingerere, & pro vna Augustana
innumeras alias introducere confessiones stu-
debant: mens quoque illis erat, vt iterum ex-
punctis Catholicorum actionibus, relictis tot
Episcopatibus & Coenobiis, quicquid ab An-
no. 55. in constitutionem commissum esset, id
velut generali iubilæo, exemplo prioris trans-
actionis remitteretur, pace deinceps quasi no-
ua condita & promulgata; Verum vt Catho-
lici has insidias aduertissent, propositumque
illud constitutioni contrarium, Imperioque
periculosum, hoc autem pijs & Catholicis mē-
tibus illicitum, vt quæ in profanationem sa-
crarum foundationum siue directè siue obliquè
consentire non possent, re diligenter exami-
natâ deprehendissent, visum ipsis fuit, vti &
Augustanis quibusdam, his indignis petitioni-
bus non deferre. Dicebant ergo hanc renoua-
tionem ab ipsis, vt qui pacis leges quàm dili-
gentissimè obseruassent, seque, in perpetu-
um obseruaturos sponderent, immeritò &
sine

sine ratione peti, quod si res fuco careat, & renouatio absque restrictione aut ampliacione desideraretur, Catholicisq; ea, quæ contra legem ablata sunt, restituerentur, aut actiones saluæ essent, se consensuros.

Hic verò illi debacchari, ferrum & flammam minari: dolebant enim detectum consilium, remque minus ex voto succedere. Itaque jam ab antiquo, & vbiq; vsitato consultandi modo, qui & in jure, Bulla aurea, variisque Imperij recessibus, & semper obseruata Imperij consuetudine fundatus est, recedunt, noluntque vltius Statuum placitum dici, quod maiori Statuum numero placuit. Hic ergo iam alteri medio, comitiis scilicet publicis bellum indicunt: rem certè sagaciter in fundo aggressi, cum hac ratione modus non superesset, deinceps quicquam in Imperij Senatu statuendi aut definiendi, parq; esset Camerae & Comitiorum effectus. Itaque hac iniecta remora, Imperij consilium dissipant, & Serenissimo Archiduce Ferdinando Commissario Cæsaris eos ad meliorem frugem frustra adhortante, summa Imperatoris & Imperij ignominia, summoq; Statuum damno, in salutato hospite discedunt. Videbant iam studia sua Catholicis innotuisse, cuniculos deprehensos, elusasque artes, Cæsarem pro sua jurisdictione stare, persuasionibus vanis locum amplius non esse. Itaque iam non vltra dissimulata, sed aperta vinegotium tractandum rati, præmisso quasi faciale suæ cohortis principe, qui Cæsarem eiusq; Consiliarios minus rectæ administratæ iusti-

justitiæ arguat: atque deinceps Imperium per ipsos administrandum iri significet, con- spirationem ineunt, consilioque aulico, & ijs denique omnibus, qui jure ab ipsis aliquid repetiissent, ad beneficia Ecclesiastica accessum negassent, & ut vno verbo dicam, ipsorum iniquissimis postulatis suffragati non fuissent, bellum denunciant, se posthac nullam pro Catholicis sententiam, multò minus executionem ex aula passuros, quod si simile quid attestatum fuisset, se coniunctis viribus, armata manu, ad extremum restituros: quin imò quæ iam definita, executionique madata essent, horum retractationem acerrimè deposcunt; Civitatis Donavertanæ, quæ prævia legitima causæ cognitione, ob inobedientiã & contumaciam in Cæsarem, aliaque in Imperii leges peruicaciter commissa, Serenissimo Duce Bavarix ad mandatum Cæsaris exequente, banno mulctata, atque in ordinem redacta erat, restitutionem (extorserant enim iam ante absolutionem) minis exgiunt. Cum autem Cæsar in præiudicium Ducis Bavarix, qui ab executione facta, quo vsq; impensæ in eam collocatæ, sibi à Reis refunderentur, meritò civitatẽ detinebat, cæteroquin nihil ipsis de statu aut libertate derogans, huic petitioni annuere nõ posset, Civitatibus quibusdã liberis hanc rem significat, agi de ipsorũ libertate, similesq; executiones ipsis imminere, præsidium ipsorũ non in Cæsare, sed sua cõfœderatione repositum, atq; ita ipsas plus nimiũ credulas nõ leui fortunæ suæ iactura, (vti experti sunt, & nisi resipiscant

spiscant, grauius, at serius experientur) ir-
riunt, hisque in consortium ob neruum quo
pollebant, assumptis, militem cogunt. Et ut
sileamus quid in terra Iuliacensi (quam Cæsar
vti Iudex partibus inter se discrepantibus, ad
finem iudicij victori saluam volebat) spretis
mandatis & commissionibus Cæsareis, perpe-
trarint, primùm quidem Rheni, & Franconiæ
Ecclesiasticos status, nihil simile metuentes
obruunt, cōmeatum à subditis extorquent, a-
gros depopulantur, nihilque hostile intermit-
tunt, tandem dissimulatâ expeditionis causa
in Alsatiam & Episcopatum Argentoraten-
sem mōuent, ciuitates ibidem celebriores ob-
sident, expugnant mœnia, templa, domus di-
ruunt, matronas, virginesque prostituunt, &
barbarorum more in eos, à quibus ne verbo
quidem læsi erāt, crudelissimè seuiunt & gras-
santur. Nec dubium, nisi Catholicorum mili-
tem, qui ob coniurationem inter illos factam,
iam defensionem suam præmeditati erant, in
Bauaria præsensissent, non solum occupata
loca retinuissent, sed & vltius in Catholicos
vires suas exeruissent.

Videbant Catholici iam de pace religionis
& prophana, cæterisque Imperij constitui-
onibus actum, sententias in Camera obtentas
ob interpositas & suspensas reuisiones eludi,
aulam Cæsaream, Cæsarisque auxiliatrices
manus occludi; demum subsidium Statuum ob
dissipata Comitia sibi ereptum, sicque & jure
& Cæsare destitutis, solum in propria defen-
sione

sione suam salutem re fidere, hanc defensionem ita concipiunt, vt tum demum vsui sit, cum quis contra jura Imperijque leges, approbatam in Imperio consuetudinem vi aggressus, Iudicis & justitiæ remediis destitutus esset, hoc vnico proposito fine, saluis constitutionibus, salua Imperatoris authoritate, repressis turbatoribus, pace in Imperio firmata, quisque in suo à prædationibus & latrocinijs liber, sub lege & Imperatore tuto degeret. Hac ergo defensione obtusus hac vice confœderatorum ensis, & qui nuperrimè pacem pacem, fiduciam fiduciam inclamabant, hi nunc rebus fortiter (scilicet) gestis, relictis ruinis, fuso innocenti sanguine, domum inglorij reuertuntur. Eximiam vero laudem, &c.

Defungitur interea sapientissimus Rudolphus Imperator, Interregni prouisione Palatino scilicet & Saxoni Electoribus, pro dispositione Bullæ aureæ, relictâ. Iura autem prouisorum sunt potestas exercēdi iudicia, ad beneficia Ecclesiastica præsentandi, recolligendi redditus & prouentus, inuestiendi de feudis, Iuramenta fidelitatis vice, & nomine Sacri Imperij recipiendi, quæ tamen per Regem Romanorum postea electum suo tempore omnia innouari, & de nouo præstari debebunt, feudis Principum duntaxat exceptis, quorum inuestitura Cæsari reseruatur, verba sunt legis. Hanc commoditatem opportunè nanciscitur Prouisor Rheni confœderatorum director, breuiq; interregni tempore, sedulum agit Cæsarem

faré. Itaque refractarios illos, qui Aquisgrani, non obstante defuncti Cæsaris sententia & executione, eiurataque vltiori machinatione & rebellione, Magistratum à Caroli Magni temporibus absque interruptione deiecerant Catholicum, sibiq; gubernacula arrogauerant, hos cõtra dictam executamque sententiam, hos inquam violentos damnatosque pacis turbatores & inuasores (ob communem scilicet religionem) remotis Catholicis, qui iure & Imperatoris decreto ciuitatem administrabant, in raptis subsellijs confirmat, vrbique præficit, sicque quod Cæsari negant, non tantum religionis causa ortam controuersiam determinat, sed etiam in hanc regiam sedem hucusque non visam sectam, contra expressam religionis pacem inducit, Cæsarisque sententiam summo cum dedecore, summaque iniquitate retractat.

Lis erat inter Castrum & Ciuitatem Fridberg, vtri Status Imperij iura competere, hanc defunctus Cæsar commissione diremerat restabatque effectus, Cæsaris morte præuentus; hoc non attento, quod Aulici consilij decreta nihili faceret, non audito Castro, contra latam sententiam præposterè partes ad causam de nouo deducendam, ad Cameram remittit, Ciuitati Biberacensi simile damnum infert, sibiq; Vicario plus quàm Cæsari licere existimat, innumerisque modis Catholicos premit.

Quot elargiones vectigalium aut expeditiones
nes

nes sibi assūperit, spē de aperiēdis Imperij felu-
dis (quomodo curiā facile omni caducitate pri-
uasset) suis cōcesserit, sicq; alienationes sibi in-
hibitas commiserit, hæc quia minora sunt, o-
mittuntur, donec tandem Dei nutu, Electo-
rumque suffragiis, Clementissimus juxtà ac
Fortissimus Matthias Imperio præficitur, his-
que prouisionibus finem imponit.

Hic turbatum, & in partes quasi scissum
Imperiū videns, patriæ, pacisq; amore, pro-
stratam iustitiam erigere, statusque pristinæ
beneuolentiæ restituere, summa cura, sum-
moq; studio aggreditur, conscribitque Electo-
rum consilio, quæ nuperrimè cœpta sunt An-
no 1613. Comitia. Compareret Cæsar, comparēt
omnes propè Catholici Status, & cum ipsis
laudatissimus Hassiæ Princeps Ludouicus, cō-
fœderati à priori sententia nihil immutati,
suos mittunt.

Catholicis omnibusq; bonis animus gesti-
ebat, (sperabant enim benignissimi Impera-
toris præsentiam, Electoris Saxonie princi-
pis æquissimi adhortationes, suo fructu in e-
molliendis concitatorum animis, & pace re-
stauranda non carituras, tantoque magis, quod
inter deliberanda primum locum Iustitiæ
punctus obtineret) sed pro dolor præmatu-
ro gaudio.

Vt enim publicata propositione tria Impe-
rii consilia, Electorum scilicet, Principum,
& liberarum urbium pro more, suo quodque
C locō

loco, conuenissent, essetque maioribus votis v. bique conclusum, deliberationem de restituenda Iustitia, vti maximè necessariam & dignissimam, ita cæteris anteponendam, soli resistunt confœderati, incusant iterum hunc secundum compluria vota concludendi modum, eoque se nolle astringi, quin potius consilia deserturos, palàm testantur.

Militabant pro vtroque & concluso & concludendi modo, simul Catholici & Augustanæ Confessionis Status, eorumque Legati: & meritò, alia enim non dabatur via, cùm si secundum Saniores (quos philautia suadente se esse putabant) procedendū, & de hoc ipso quoque maioribus relinquendum esset iudicium. Igitur differri negotium petunt, obtulisse se Cæsari grauamina, ante omnia horum expeditionem exspectandam.

Obtulerant certè scriptum quoddam Cæsari, quo non tam supplicabant, quàm imperabant, & qui totum Imperii ordinem, vt ex supradictis patet, turbarant, Catholicos innumeris modis afflixerant, hi nunc ad instar lupi Aesopici, se à Cæsare & Catholicis grauari conquerebantur, meritò scilicet, quòd exemplo edocti, iam nō vt ante actiones suas remittere, & incertæ pacis se vltèrius committere vellent Catholici. Itaque in iurisdictionem Cæsaris, eiusque tribunal aulicum primum impetum faciunt, hoc vti & supradictum est, deletum volunt, quòd nimirum iam solum grauatorum asylum esset, atque inde eorum in
leges

leges & constitutiones Imperij conatus jure reprimerentur. Urgent restitutionem Ciuitatis Donauverthanæ, nolunt supremum Iudicis in Camera officiū deinceps Ecclesiasticis Principibus attribui, Præsides Cameræ suæ sectæ postulant, & in utroque Cæsari, cuius hac in re liberum arbitrium est, contra Cameræ ordinationem leges præscribunt. quicquid Interregni tempore à Prouisore Aquisgrani, Fridbergæ, Biberaci, aliisque locis decretum, idè vestigio confirmatum desiderant, atque ita pientissimæ memoriæ Cæsaris æquissimas sententias annihilatas, suas autem retractationes & æquitati & juri dissonas vigere volunt.

Cameræ iudicium paribus in Religione Assessoribus constare petunt, quasi non cuius Statui suæ religionis hominem præsentandi facultas, esset. Magdeburgensis Archiepiscopatus, similiumque Ecclesiarum inhabiles detentores, ut Ecclesiasticos ad sessiones & votum in Imperij Senatu, ordinariasque Cameræ visitationes admitti flagitant, ut in Cōsilio numerosiores, alienis bonis opulentiores, aut votis aut vi, Ecclesiæ Romanæ, primò quidem in Imperio, dein vicinis locis leges dicant; qui supersunt Archiepiscopatus, Episcopatus, aliasque Ecclesias sibi vendicent, eradicatoque paulatim Ecclesiastico ordine, ne vestigium quidem priscae fidei (quod ipsorum omen Deus auertat) remaneat.

Abominantur eos, qui pro recuperandis vi-

C 2

olentur

olenter ereptis Cœnobijs, prouincialibus
processus decernunt, verentur quippe restitu-
tionem, quam se nec posse nec velle admittere
passim & liberè profitentur, egregia scilicet
Christiani hominis vox, qui, quod Deus, æ-
quitas, jus, justitia, volunt, hoc se nolle
intendit.

Incusant denique Catholicos, quasi pacis
religionem (quam ipsi nunquam obseruarunt)
temporaneam, dicant, sed absq̄eratione.

Iura summi Pontificis, quæ exigua satis a-
pud Catholicos in Imperio remanserunt; ea
prorsus eliminata volunt, neque enim in spi-
ritualibus, neque temporalib. superiorē ferre
possunt, qui vtriusque potestati sibi vendicāt.

Ecclesiasticam jurisdictionem pace religio-
nis in territorijs Catholicorum reseruatam
auerfantur.

Queruntur gregalibus suis consecrata sepul-
turæ loca denegari: cū id velint jura, nec ipsi
vllam in consecratione vim ponant.

Petunt in locis Catholicis suæ religionis
exercitium, idq̄; certè contra pacem, cū ta-
men ab ipsis in liberis quibusdam Ciuitatibus,
vbi ante & post pacem continua serie vtraque
religio viguit, Collegia & cœnobia diuersa
adhucnum reperiuntur, Catholicis ad omnes
dignitates, honoresque publicos via præclu-
datur, Campanarum vsus, & soliti sepulturę
ritus interdiciantur; imò nulli deinceps in mu-
nicipium, contra expressam pacis sanctionem,
admittantur, similiaque jura simili quoque jure
nixa

nixa cupiunt, & quod evertendo Comitiorum fundamento necessarium erat, subiungunt, se modum per maiora concludendi in Imperij senatu ferre non posse, quin si quid hoc pacto deinceps constitutum, decretumue fuerit, huic se non subscripturos, publicè protestantur.

Ultimo Cæsarem æquitatis (quam oderant) admonent, fiduciam inter Status (quam ipsi euerterant) conciliari petunt, sicque finem scripto faciunt.

Volebant autem Cæsarem his postulatis absque mora, & antequam ad Imperij deliberationes progressum fuisset, annuere, hac adiecta comminatione, se alioquin comitijs interesse non posse.

Imperiosa certè, ne dicam; insolens Legatorum preteritio, sed quæ studiis iam dudum præconceptis conueniebat. Venerant enim non consultatum, sed criminatum; leges dare & non recipere, id ergo strenuè actitant.

Cæsar postulata hæc grauiora videns, quàm ut ea tam breui tempore, & ad placitum illorum expedire posset, scriptum benignè recipit, spondet se querelis, durantibus adhuc Comitibus, pro jure & æquitate subuenturum: hortatur, rogat insuper ut interim, pro summa Imperij necessitate consilium frequentent. Idem Catholici, aliique Augustanæ Confessionis Status obtestantur, intempestiuè ista vrgeri existimantes, cum hac de causa potissimum comitia indicta essent, & quod consilio

Statuum definiendum esset, id ante consilium
præiudicio rogaretur, esse de resuscitanda in
Imperio Iustitia, ut quod omnes in vniuersum
concernit, primo tractandum, dein particula-
ribus causis prouidendum.

Sed Surdis fabula narratur, quò clementior
Cæsar, humaniores Status, eò obstinatiores a-
crioresque isti: quot hi preces, tot illi minas
ingeminant, nec demum aliud remedium Cæ-
sar ad manum habet, quàm ut infeliciter hæc
incepta Comititia, in aliud tempus differat.

Triumphum igitur de interpellatis comitiis
denuò agunt, & quod dixerant, Imperij re-
cessum, reiectis Cæsaribus Statuumque tam Ca-
tholicorum quàm Augustanorum, vnanimi
decreto, respuunt, Catholicosque concepta
spe frustratos, prioribus nexibus, miserisque
implicatos relinquunt.

Hic Status est, quem hodie Romanum Im-
perium olim omnibus admirandum obtinet:
Hæ sunt miseriæ, hæ calamitates, quibus Ca-
tholici quotidie vrgentur, & qui vana spe in
transactionem Passauiensem, religionisque
pacem inducti, Ecclesiis bonisque spoliati, ju-
re, iustitiaque priuati, confœderatorumque
furori expositi sunt. Hi si Cæsaribus Catholico-
rumque vicinorum ope destituantur, oneri
succumbent, & (næ ominor) eiecta fide, pro-
strata dissolutæ libertatis studio obedientia
splendidum Imperij decus, & eximia Christia-
norum regna, excitata (quod non vident)
vulgi

vulgi imperitatione, spe aut opinione citius
corruent.

Sit ergo cuius bono nunc liberum iudici-
um, quinam celebrem illam de pace religio-
nis & prophana legem, cæterasque Impe-
rij constitutiones violarint, qui nam Came-
ræ iudicium interpellarint, patriæ tranquil-
litatem turbarint; qui nunc demum etiam su-
premam Cæsaris auctoritatem conuellere, e-
ius jurisdictionem infringere, atque ita dis-
sipatis Comitjjs Romanum Imperium legibus
& justitiâ, summo studio, summâque vi spo-
liare annitantur.

Reos certè & fama & vulgus & proprij
facti studijque scientia plus quam conuictos
arguit, nec iam prudentia illa mixta versuti-
am puto, aliud confusis Ministris & malis Cõ-
sultoribus suggerere potest, quàm vt agnitam
ablatorum restitutionem rei familiaris tenui-
tate excusent, cingulotenus scilicet denudan-
dos aiunt Principes suos, nec demum statui
condecentem sustentationem jis superfutu-
ram, si quæ Ecclesiæ suat, Ecclesia sibi repe-
tat, impossibilem rem desiderari. Dictum
certè nec fide nec moribus Germanorum
dignum. His itaque petitionibus renun-
ciandum, deinceps verò religionis pacem
sanctè & inuiolabiliter seruandam, ma-
nus à bonis Ecclesiasticis, nouo &
firmiori ad hoc præstito vadimonio co-
hibendas, Catholicos nimix austeritatis,

vt qui stricto juri accuratius incumbant, accusant, rem totam, vti & grauamina hinc inde exhibita, familiari & amica tractatione componenda: Compositionem, compositionem, inquam, aut conferentiam ineundam, sicque pacem publicam conseruandam esse, splendide equidem, & quo Electis propemodum imponunt. At certe Catholici auorum, imò parentum edocti malo, latens hoc venenum plus nimio aduertunt, id enim inprimis volunt, vt Cæsar forum suum sistat, quousque res partium libitu transacta sit: Sed cui quæso bono spes transactionis superest, vbi transigentes Rei & Actores? Et quis credat eum sibi ipsi sententiam dicturum, qui vigore juris eam in se latam agnoscere detrectat? nonne vti constanter postulabit actor, ita & sedulo negabit reus? in æternum ergo luctabuntur, vbi arbitro caruerint, qui in ætuo dissident, atque in æternum hoc pacto quiescet vindex afflictorum diua manus Cæsaris, quodque dolendum est, patria nostra, relegatâ justitiâ, latrociniiis implebitur. Deinde si quod animo conceperunt studium, penitiùs larvâ detractâ videre velis, quàm possunt studiosissime laborant, vt in eam orthodoxos denuò viam inducant, quæ nimium credulos antecessores ad pacem illam Passauiesem seduxit. Ita enim renitentibus Augustanis, pacis studio, & futuræ compositionis spe, Catholici primo quidem Anno 41. actiones suas ad tempus, donec scilicet Consilia expedirentur, suspenderunt, Cæ-
sare


ſare promittente, ſe præuia commiſſione inter
religioſas & prophanas cauſas discreturum,
factaque ſanctione, res Eccleſiæ deinceps ſal-
uas fore. Verum hoc obtento, concilia reſpu-
unt, & poſt biennium Catholicos adigunt, vt
conceſſas inducias, agendi, ad quinquennium
producant, promiſſis ſemper nouis pro Eccle-
ſiæ ſecuritate legibus, quibus eos pacis & quie-
tis auidos inſcabant, ſibiq; magis grauiora tē-
tandi locum parabant. Quid fit? audi poculum
amicabilis compoſitionis, quod hodie Catho-
licis propinant, & vbique venditant. Conſti-
tuunt Anno 48. lites & diſceptationes circa
Eccleſiæ bona amicā commiſſione ſopiendas,
aut ſi id fructu careat, à Cæſare iure decidēdas;
Viden' antiquas artes. viden' caſſes, & honeſto
velo tectas decipulas, quas hodie pari blandi-
tie ſternunt Catholicis? Commiſſione famili-
ari & libera inquam, aut iure rem finiendam
ſtatuunt, ſed nec hoc nec illud admittunt, imo
indies acerbiores, & Catholicorum benignita-
te, ne dicam ſomnolentia, Cæſariſque lenitate
inualeſcunt, donec vniuerſali velut jubilæo,
Paſſauienſi ſcil. tranſactione, omnes Eccleſiæ
actiones, & quicquid illis reſtituendum erat,
vno hiatu abſorbeant. Hæc igitur ſemita eſt,
quæ Paſſouiā ducit, quam ſi vano & inani pacis
ſtudio minus cauti ingredientur Catholicis, ad
eandem dubio procul metam, infeliciter vero
magis, imò infeliciffimè, ad ſummam & extre-
mā Eccleſiæ iacturā deuenient. Quod vti Deus,
ita dubio procul omnium Sapientum & bo-
norum conſilia auertent.


F I N I S



DEO GLORIA
&
Pax in terris hominibus bonæ
voluntatis.





















Np 390.

8


Franc. Rex
408.
100. Lipsienferm


ULB Halle 3
 002 390 264


Sl.

W
KCN







5
TVRBATVS
IMPERII ROMA-
NI STATVS, EIVS-
que origo &
causa.

Hoc est.

INFORMATIO CIRCA
PRAESENTES IMPERII DIS-
cordias, earumque Au-
thores.

A. P. A.

Est hoc scriptum mirabile, et lectu non indignum.



Iuxta Exemplar Gallicum Biturigi-
bus editum,

ANNO M. DC. XIV.

